



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXLVIII. Mala fors, pessima mors illorum, qui Christum & hunc crucifixum non amarunt, non honorarunt in vita sua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

exercitus Israel. Supra quod pereleganter Ludovicus de Ponte: *Ita etiam, De Ponte in
cum Christus Dominus, cuius imaginem arca illa serebat, elevatus est in crucem ad
pugnandum contra hostes suos, dictum est illi per Prophetas. Surge Domine, &
virtute tua cuncti hostes dissipentur. Postquam autem corpus descendit in spelun-
cam, & anima in limbum; clamabat sponsa: Reverte Domine ad multitudi-
num exercitus Israel.*

Finem huic Considerationi imponat B. Virgo nunc Verbo gra-
vida, quæ in suo Magnificat inter alia & hæc Prophetico spiritu effata
est: *Fecit potentiam in brachio tuo. Quæres, ubi DEus hanc suam demon-
stravit potentiam? R. Hugo Cardinalis: Fecit potentiam in brachio suo
in cruce extento: Quia diabolum superavit, captivos de inferno liberavit, & Ele-
mos omnes ad superna levavit. O sub hoc brachio & nos vivere,
& mori desideramus &c.*

CONSIDERATIO CXLVIII.

Mala fors, pessima mors, Christum Cru-
cifixum in vita non honorasse, non dilexisse.

Aspiciunt ad me, quem confixerunt. Zach. 12, 10.

I.

Olim in exitu Israel de Ægypto præcedebat Dominus electo Exod. 13. 21.
populo suo in columna nubis & ignis, monstrans eis viam
in Palæstinam: Hebræos quidem illuminans, sed Ægyptios
obtenebrans, & eorum interficiens exercitum: *Tamque ve- Exod. 14. 24:
niebat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægy-
ptiorum per columnam ignis & nubis, interficit exercitum eorum. Adverte hic
diversum Domini Dei aspectum superpios & impios: Israelitas in
maris rubri transitu dirigebat ad felicem portum, ita ut totam ejus
latitudinem, quæ sex leucas continet, per dimidium noctis tricies cen-
tena hominum millia sicco pede transierint, Ægyptios vero inseguen-
tes & hostes suos in undis submersit. En duplum Dei aspectum be-
nignum & terrificum. Sit erit in consumatione sæculi, ac præser-
tim in exitu animæ nostræ ad alteram transeuntis vitam; pios piè*

Aaaa 3

aspi-

aspiciet IESUS olim crucifixus, sed nunc ut JUDEX distillissimus, malè perdet. Vide, ne tu sis inter illos.

2. S. Joannes dilectus ille Christi discipulus vidit aliquando in raptu Dominum suum, cuius oculi erant flamma ignis, id est fulgetræ: *Et habebat in dextera sua stellas septem: Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Observa; per septem stellas & jucunda luminaria manu Christi denotantur beneficia ejus divina, quæ suis servis, qui in vita ipsum dilexerunt, & imitati sunt, in æternum conferet, sed flamma ignis & fulgetræ & duo gladii indignationem ejus indicant ad terrorem perditionis & inimicorum crucis, quorum Deus venter erat in vita, & nunc finis interitus: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupillam.* Hinc videtur, subintrat hic Cornelius, quod in Christo judice veniente ad judicium videbuntur crucifixionis insignia, & vulnera, id est aperturæ manuum, pedum, lateris, sed gloria & splendentia, impiis & crucis osoribus ad terrorem, piis autem ad ineffabile gaudium ac solatium. O peccator! ubi tu tunc parebis?

3. Variè se Moyses excusavit apud DEum, ubi ad illam missionem vocatus est, quâ populum Hebraicum à durissima Pharaonis liberaret servitute; cui Dominus: *Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, virga;* dixitque Dominus: *Projice eam in terram, projectis, & versa est in colubrum.* Allegoricè per istam virgam (prout alibi explanavimus) Crux Dominica intelligitur, quæ impiis in morte & particulari judicio vertetur in colubrum: *Mors est malis, vita bonis.*

Latrones consule cum Christo Redemptore nostro ferreis aculeis & similibus clavis (prout habet Nonnus & alii) in crucem actos: *Tres crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris,* crux enim erat ordinarium latronum supplicium, inter quos & ecclisi terraque Dominus medius, tanquam eorum choragus & princeps pependit, ut adimpleretur illud Isaiae Prophetæ: *Et cum sceleratis reputatus est.* Sed adverte diversum horum latronum exitum; unus salvatus, & alter æternum reprobatus est. Juvat hic audire S. Augustinum: *Ipsa, inquit, Christi Crux, si attendas, tribunal fuit.* In medio enim Judice Christo constituto unus latro, qui creditus, liberatus, alter, qui insultavit, damnatus est. Jam significabat quid facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram, nimirum hos missurus in ignem aeternum, illos ducturus ad celeste suum regnum. Ita in ipso illo sacrificio, quo ex misericordia nos reconciliabat aeterno Patri, voluit uos commonefacere iustitia, quam in suo judicio in peccatores exercebit. Sta hinc, & considera.

4. Isaias Prophetarum princeps genti suæ propter enormia, quæ patravit scelera, amaram mortem & sortem prædixit: *Ecce Dominus dissipat*

Nonnus in
Jo. 19. 19.
Matth. 27. 38.

Isa. 53. 12.

S. August.
Tract. 31. in
Joan.

dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & disperget habitatores Isa. 24. 1.
ejus; Et tandem addit, quod potio illorum in morte sit futura amara:
Amar a potio &c. Theodoreetus, Eusebius, Vatablus & alii dicunt, quod Ver. 9.
hic, & per reliquum capitulum agatur de vastitate Judæis in vecta post,
& propter Christum crucifixum, quia crucifixum Dominum suum
non honorarunt, non ut Messiam agnoverunt, ideo miserrimâ mor-
te perierunt.

Talis rerum facies & Christianorum peccatorum erit in morte,
qui in vita sua Christum & hunc crucifixum non amarunt, imo de
novò per peccata sua crucifixerunt. Tunc adimplebitur illud Salo- Prov. 5. 4.
monis in Proverbiis: *Norissima illius amara;* Et illud Ecclesiastici: O Eccli. 41. 4.
mors, quam amara est memoria tua? Quibus adjungo Jeremiam Prophetam:
Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquise te Dominum Deum tuum. Jrem. 2. 19.

De S. Mechtilde refertur, quod aliquando, cum orationi ferventius insisteret, patentem infernum conspicata sit, & in eo ignitos dracones, serpentes, leones, tygrides, lupos, canes &c. sese invicem crudelibus morsibus atrocissime laniantes. Et cum Dominum suum ac Crucifixum Amorem de hac visione humiliter consuleret, quid sibi
haec monstra vellent? Divinum responsum accepit: *Animas esse, qua Lib. 5. Grat,
nunquam Salvatoris sui, passi scilicet, & suppliciorum ac Vulnerum ejus meminisse.* spirit. cap. 16.
sent, quibus tamen, veluti cali clavibus cœlum aperitur, & clauditur infernus. Sub-
intrat S. Augustinus Hippomenium Episcopus: *Quo, inquit, se tunc S. August.*
peccator convertet, quando illi merito exprobrabit Salvator: *Vide hominem, quem lib. 1. de
crucifixisti; vide Vulnera, qua inflixisti; vide latus, quod transfixisti, quoniam per Symb. c. 8.*
te & propter te apertum est, & tamen intrare nollusti? Et neque tu?

5. Quo modo Christus plenissimus Servator noster in deserto à diabolo fuerit tentatus, satis luculenter describit Sanctus Matthæus cap. 4. v. 1. Tandem, ubi nihil efficere poterat, *reliquit eum diabolus,* Matth. 4. 11
& quidem diabolorum omnium princeps Lucifer, qui Filium Dei sibi ad singulare depositebat duellum, victumque se fassus ei ultrò cedebat victoriæ. S. Lucas ait: *Recessit ab illo usque ad tempus.* Et quare usque *Luc. 4. 13.*
ad tempus? ergo diabolus ad Christum rediit ut illum tentaret de novo? Ita est, rediit & quidem supremo vitæ die, quando Salus nostra pendit in cruce; hic in mortis articulo pugnandum erat Christo cum omnibus infernalibus legionibus ac præsertim cum antiquo serpente, sed quia nihil diabolus in eo invenit, *in pudore,* ait S. Athanasius, *reje S. Athanas.*
dius est. Observa hic anime mi! Si adeò observavit princeps tenebra- orat. de pass.
rum tempus mortis Christi, ut omnes eum tentandi vires tunc exereret, & cruce.
quid tecum fiet peccator inveterate, in illo ultimo agone, ex quo pen-
det æternitas? *Tunc circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique,* Luc. 19. 43.
et quod non cognoveris tempus visitationis tuae. 6. De.

560. Consideratio CXLVIII. Crucifixus impiis in morte &c.

6. De S. Anselmo Episcopo Cantuariensi refert Vita, & ex ea Cornelius, quod aliquando iter faciens, ac dicecsem suam visitans in venatores & canes inciderit, leporem omni conatu persequentes; qui cum penè esset in ore vertagorum, nec amplius posset effugere, ad pedes Sancti Antistitis totus tremens & sudans accurrerit, quem Sanctus benigne manibus exceptum sinu suo fovit, convertensque se ad venatores, suosque itineris socios, dixit: *Talis est anima in extremo viæ pericula.* Cornel. in Ep. S. Jacobi c. 2. v. 13. *quam canes infernales persequuntur. & devorare contendunt.* Tunc videbunt peccatores, in quem transfixerunt. Tunc *animam tuam reperent a te, mali videlicet Angeli & crudeles tributorum exactores, & qua parsisti eam erunt?* Tunc tota criminum tuorum congeries innovabitur, & pre oculis posita heu quantum percutiet mentem tuam! Ah quid tunc erit osori & contemptori crucis, qui in vita sua Christum crucifixum non amavit, non coluit, non imitatus est? O mors, quam amara tunc erit memoria tua, cum anima nunc a dæmonibus trahetur ad terrible Dei judicium? *Si columna cœli contremiscunt adventum ejus, qualis ac quantus tunc te invadet tremor, o peccator obstinate & procrastinator pessime?* Tunc verificabitur illud Regii Vatis: *Mors peccatorum pessima, & illud S. Petri: Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Cogita hæc, & bene ruminare.

Job 26. 11.

Psal. 33. 22.
I. Petri. 4. 18.

Zehentner.
in Promonto-
rio malæ spei
lib. 4 §. 2.
num. 25.

Psal. 49. 22.

7. Exemplo sit tibi ille Canonicus, de quo Zehentnerus refert, quod Toleti in Hispania, licet sacris per plures annos initiatus, malam & scandalosam vitam duxerit. Tandem ad extremum vitæ devenit quem gravi infirmitate correptum Ecclesiastes Toletanus invisit, monuitque, ut saluti suæ, dum adhuc gratiarum tempus affulgeret, perverram ac contritam peccatorum confessionem consulueret. Renuit ille nondum esse hujus rei necessitatem; instat Ecclesiastes, ei proximum intentans divinum judicium & gehenam, nisi dignos faceret poenitentiae fructus. Sed frustra omnia. Quare consternatus Ecclesiastes imaginem Crucifixi IESU apprehendit, & Psalmum de Profundis pro ægri animæ salute devotissime recitat. Et ecce dum devenit ad illa Davidis verba: *Fiant aures tuae intendentæ in vocem deprecationis meæ, lignæ ima- go inspectantibus pluribus præsentibus brachia cruci affixa resolvit, & utrâque manu aures obseravit, hanc lamentabilem emittens vocem: Quia vocavite, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Ad quod fulmen mox æger infelicem animam expiravit: *Intelligite hac, qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat,*

CON-